37

phantos quasi inter munera trahentes. nichil magisquam longinquitate
sue imputabant quam quadriennio impleverunt. Et tamen ipse hominum
color ab alio venire celo fatebatur. Parthi quoque quasi victoria peniteret
capta clade crassiana signa ultro retulere. Sic ubique certa atque conti
nua totius generis humani aut pax fuit aut pactio. Aususque tan
dem gaius augustus septingentesimo ab urbe condita anno ianum
geminum claudere bis ante reclusum. sub numa rege et primum victa
carthagine. hinc conversus ad pacem pronum in omnia mala et in luxuria
fluens seculum gravibus severisque legibus multis cohercuit. Ob hec
tot facta ingentia dictator perpetuus et pater patrie. Tractatum etiam in
senatu. an quia condidisset imperium romulus vocaretur. Sed sanc
tius et reverentius visum est nomen augusti ut scilicet dum colit ter
ras ipso nomine et titulo consecraretur. liber annei flori Epithoma de
tito livio Explicit liber. iiii^us. De tito livio ab urbe condita.

Adventus enee in ytaliam: et res ges
te ascanii. Regnum albe ytalie et deinceps silviorum
Numitoris filia a marte compressa. nati romulus et
remus. amulius obtruncatus. urbs a romulo condita. senatus lec
tus. cum sabinis bellatum. spolia opima feretrio iovi lata. in centu
rias populus divisus. fidenates veientes victi. romulus consecratus
numa pompilius ritum sacrorum tradidit. porta iani clausa. tullus
hostilius albanos diruit. trigeminorum pugna et meti fufetii sup
plicium. tullus fulmine consumptus. Ancus marcius latinos devi
cit. ostiam condidit. Tarquinius priscus latinos superavit circum fecit
finitimos devicit. muros et cloacas fecit. servio tulio caput arsit. Ser
vius tullius veientes devicit. et populum in classes divisit edem
diane dedicavit. Tarquinius superbus occiso tulio regnum invasit. tul
lie scelus in patrem. turnus herdonius per tarquinium occisus. bellum
cum volscis fraude sexti tarquinii gabii recepti. Capitolium inchoatum
terminone et iuvente aram removere non potuerunt. lucretia se occidit.
superbi expulsio. Regnatum est annis. ccxlv. liber secundus